

1791.



Kern 3487

(1-12)

344



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA (4)

DE

Promovenda Coctione  
SORDIUM BILIOSARUM  
GASTRICARUMQUE

QUAM

GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE

CONSENSU

IN REGIA FRIDERICIANA

PRO

SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS

OBTINENDIS

PUBLICICE DEFENDET

DIE XXII. DECEMBRIS MDCCXC

AUCTOR

JOANNES HENRICUS FLACH

REGIOMONTO - BORUSSUS.

---

HALAE,  
Typis Franckianis.

DISSERTATIO IN AURIBUS MEDICAE

DE

PROMOVENDI COCCIONE  
SERGIUM BILIOSARUM  
GASTRICARUMQUE

QUAM

GRATISSIME FACULTAS MEDICAE

CONSENSU

IN REGIA UNIVERSITATE

MD

SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS

OBTINENDIS

HUIUSCE DIEI

DIE XXII DECEMBRIS MDCCCX

ACTOR

JOHANNES HENRICUS FLACH

REGIMONTO - BOHEMUS

HABEAT

Typis Universitatis





V I R O  
ILLUSTRI ATQUE EXPERIENTISSIMO  
D. CHRISTOPHOR. FRIDER.  
E L S N E R,  
MED. DOCT. ET PROF. ORD. SECUND.  
COLLEG. REG. MEDIC. ET COLLEG.  
SANITAT. MEMBR.

VII  
MUSEUM ANATOMICO-HISTORICO  
B. CHRISTOPHOR. FRIDERICI  
A. I. S. W. E. R.  
ANNO DOMINI MDCCLXXV  
CORPUS HUMANI MEDICINAE  
SAGITTATA MUSEUM





OMNIBUS VIRO  
EXCELLENTISSIMO  
ATQUE EXPERIENTISSIMO  
D. CAROL. GODOFR.  
H A G E N  
MED. DOCT. ET PROF. ORDINAR. DESIGNAT.  
PHARMACOP. REG. AULIC. ACADEMIAE  
CAESAR. NATUR. CURIOSOR. COLLEG. ET  
SOCIETAT. BEROLINENS. NATUR. SCRU-  
TATOR. MEMBR. HONORAR.

JOHN HENR. F. LACH  
NEC NON

VIRO CELEBERRIMO  
D. JOAN. DANIEL.  
FLACH  
PHARMACOPOLAE REGIOMONTANO  
AVUNCULO SUO DILECTISSIMO

PRIMITIAS HASCE ACADEMICAS

IN

PERPETUUM GRATI ANIMI PIGNUS

SACRAS VULT ET OFFERT

JOAN. HENR. FLACH.





---

## Confpectus rerum.

---

I. Digestiva eorumque commoda in morbis biliosis.	pag. I.
2. Cruditas et coctio in genere.	6.
3. Cruditas status biliosi in specie.	7.
4. Signa generalia coctionis et cruditatis bilis.	12.
5. Causae speciales cruditatis sordium biliosarum.	15.
6. Cruditatis causa in statu gastrico et bilioso	
I. Vel in materia ipsa evacuanda.	16.
I. Pituita viscida.	16.
a. A defectu aquae.	16.
b. Ab inertia solidorum.	
2. Colluvie verminosa.	18.
3. Atra bile.	21.
4. Bilis acrimonia.	23.
a. Rancida.	
b. Acida.	
c. Putrida.	
d. Ignota.	
Cur bilis acris cruda fit?	
Illi medemur	27.
a. per generalia edulcorantia,	
b. remediis specificae acrimoniae contrariis,	
c. curatione passionum, quas acris bilis efficit.	



II, Vel in conditione vitiosa hominis aegroti.	29.
I. In fluidorum vitis.	
a. Sanguinis spissitudine atrabilaria.	30.
b. Plethora,	31.
2. Vel in solidorum vitio.	
a. Solidorum actione aucta.	33.
b. Solidorum inertia.	37.
1. Atonia ventriculi transitoria.	37.
2. Atonia primarum viarum chronica, sive Dyspepsia.	38.
3. Hepatis et lienis inertia.	40.
4. Inertia solidorum febrilis in febribus pu- tridis et nervosis.	43.
5. Motibus illorum irregularibus	51.
α. Spasmi hepatis.	53.
β. — Ventriculi et intestinorum	55.
γ. — Vaforum haematophororum.	61.
Evacuatio fordium coctarum per omnia corporis colatoria	66.
1. per intestina,	66.
2. — Urinam,	67.
3. — Sudorem,	67.



---

SECTIO. I.  
INTRODUCTIO.

---

§. I.

PROOEMIUM.

**M**edicæ artis, imprimis practicæ, incrementa quæ nostræ aetate studio illustrium atque experientissimorum virorum addita fuere, tot tantaque sunt, ut medicinam practicam propemodum ad perfectionis fastigium evectam esse videatur. At minime eheu! res ita se habet. Cuilibet sane, qui practitorum scripta volvit revolvitque, manca multa, eaque haud levis momenti occurent, quæ vel emendanda vel ad certiorum regulam redigenda supersunt. Quanta deprehenditur negligentia in accurata multorum morborum eorumque causarum et phaenomenorum perscrutatione! Quales in errores ii practici incurrunt, qui in morborum tractatione magis ad nomen, quam

A



ad veram eorum indolem respicere solent. Hac ratione factum est, ut multi, nomine morbi ejusque hypothetica natura decepti, a vera medelae methodo plane aberrarent. Hoc inter alia praeprimis valet de practica februm gastricarum bibliosarumque tractatione. Una dilecti Scriptoris auctoritas recentioris aevi effecit, ut fere omnis Germania cum ingenti hominum clade omnes morbos resolventium et evacuantium usu curare studeret. Ubique bilis, fordes et status gastricus accusantur. Immo ipsi statui gastrico plurimi medici perverse, ad hanc unicam fere normam medentur, ut fordes, quae immobiles sunt, mobiles reddi mobilesque factas evacuari jubeant *a*). Ad mobiles eas solutasque, ut dicunt, efficiendas praecipiant resolventia et digestiva, quorum familiarissima salia media varia, Sal mirabile Gl. Sal ammoniac. Tart. tartarifat., Liq. Terr. Sol. Tart., sal absynth. aceto saturat., Mel, Syrupi; Radic. et Hb. aperientes Taraxac. Gramin. Saponar;

*a*) Quod medici plurimi sique boni, revera huic sententiae addicti, coctionem sordium sola earum resolutione moliantur, probant:

Tiffot Traité des nerfs T. II. part. II.

Richter von den Fiebern, Halle 1785. pag. 55.

Selle Medicina clinica. pag. 27. Edit. II. Berl. 1789.

Metzger. Grundsätze der allgemeinen Therapie §. 130. Königsb. 1785.

Gottl. Vogel. Handbuch der praktischen Arzneiwissenschaft, 2ter Theil, Stendal 1789. §. 132.

Fr. Xav. Haeberl de febr. annis. Vindob. 1784. pag. 63.



Salia alcalina, Saponēs et alia sunt. Sed ad coctionem promovendam, quae altioris indagationis res est, minime sufficiunt ventilata haec remedia. Indicatio medicorum familiaris, de resolutione sordium gastricarum instituenda, nimis augustis limitibus premitur. Usus horum remediorum a falsa febris biliosae theoria provenire videtur, scilicet ab opinione, quod in statu gastrico biliosisque febribus omnibus, causa materialis semper in primis viis haereat *b*). Nihilominus practici videbant, bilem hanc in primis viis positam, evacuantibus primarum viarum non evacuari. Hoc suae opinioni contrarium phaenomenon itaque ita remove studebant, ut sordes nimis firmiter parietibus intestinorum adhaerere dicerent, ideoque ad res solventia confugerent. Hac via medici ad nimium turbulentumque resolventium et digestivorum usum in medela febrium biliosarum pervenisse videntur. Sed

## A 2

*b*) Jam ex synonymicis febrium biliosarum denominationibus, quas intestinales, mesentericas, gastricas appellant, elucet, quo in loco medici plurimi febrium harum materiam positam esse crediderint. Sed tantae bilis copiae, quanta saepe eructata videtur, in primis viis non satis spatii esset: diarrhoeam ibidem et in sanguinem resorbta icterum efficeret. Linguae epithelium, urinae, genarum, mammarum, feri sanguinis color croceus, quomodo haec ex bile in primis viis explicabis? Quid coctio bilis a febre, ejusque crises essent? Nam multoties homines ex febre biliosa, sine omni ea alvi facta euacuatione reconvalescere vidimus. Denique cadavera, a morte periustrata intestina pura; hepatis vero ductus vesiculamque felleam bile repletam ostenderunt.



tenuis et fluida bilis, quae vulgo evomitur, quomodo parietibus intestinorum adhaerere possit, non video. Immo causa materialis febrium biliosarum rarius in primis viis, plerumque in sanguine visceribusque hypochondriacis latet, quas partes resolventia non attingunt. Utilitas, quam ideo a trito et familiari digestivorum usu expectare possumus, in promovenda coctione fordium gastriacrum, his limitata est speciebus:

- a) Utilia sunt digestiva, si cum bile pituita viscida, quam solvunt, in primis viis haeret, quae ostia arteriarum exhalantium et ductus excretorios occludens, expeditam bilis depositionem in intestina, posteriorumque motum peristalticum impedit. Ergo conferunt in febribus biliosis vernalibus, aliisque, colluvie pituitosa verminosaque complicatis.
- b) Si bilis atrabilaria, inspissata, picea colorisque obscurioris adest, ut vasculis adhaerens, aegre per ea trahatur, obstructions lentas producat, parietibusque intestinorum firmiter agglutinetur; v. g. in febribus senescentis autumnii, in febribus quartanis, etc.
- c) Digestiva leni suo stimulo motum peristalticum et actionem arteriolarum exhalantium augment, atque hac ratione bilem in sanguine hospitantem, quasi ad depositionem in intestina alliciunt et invitant. Praecipue hunc in finem Sal ammon. laudandum est, quod torpentes fibras magis excitat.



d) Porro blanda vi apperiente alvum ducunt, quod in plurimis morbis gastricis medico exoptatum est.

e) Denique plurima resolventia, quae dantur, antiphlogistica sunt, e. g. Tart. Tartarifat. Crem. Tart., Nitrum, Sal ammoniac., Sal mirab. Gl., quae sanguinis aestum temperando, motumque excedentem compefcendo, ita coctionem promovere possunt, quae a nimia solidorum reactione retardatur.

Haec fere sunt emolumenta, quae a digestivis in morbis gastricis expectare possumus. Cum autem multo plures sint causae, statum crudum foventes, quae ab his digestivorum enumeratis virtutibus tolli non possunt: satis patet, ea sola non sufficere ad coctionem in morbis gastricis et biliosis efficiendam. Me igitur ad elaborandum specimen inaugurale haud aptius facile thema, de quo differerem, eligere posse credidi, quam si pro virium tenuitate ostendere adniterer: qua ratione quibusve auxiliis coctio fordium gastricarum biliosarumque sit promovenda. Uberrimum mei operis pretium erit, si id, quod hisce pagellis inclusum est, ita pertractatum censeatur, ut minus ad sermonis cultum, quam ad rei gravitatem respiciens, et in simplici cogitationum explicatione et fida rerum relatione Benevoli Lectoris expectationi quodammmodo satisfecerim.



## De cruditate et coctione in genere.

Sub cruditatis cujuscunque morbi stadio, sensu latiori, major recessus a sanitate intelligitur: quemvis enim morbum, quam diu scilicet in incremento est, crudum appellamus. Coctionem adesse innuimus, si quod morbosum in corpore adest, ita subigitur et mutatur, ut vel vim nocentem amittat, vel ad excretionem e corpore aptum reddatur. Hanc mutationem triplici modo effici posse, jam DARVAR c) annotavit. Etenim omne illud, quod a legibus sanitatis in corpore desectit, vel naturae humorum indigenorum perfecte assimilatur, vel partim in speciem succi boni inducitur, partim ad transitum per organa excretoria aptum relinquitur; vel denique ita subigitur, atque contemperatur, ut conditiones ejus noxiae, quibus morbum facere aut intentare valet, mitescant, sicque illud ipsum ad liberiores motum per vasa atque ad faciliorem secretionem et ejectionem magis expeditum fiat. Coctio est itaque ea corporis nostri ejusque admirandi mechanismi actio, qua mediante, morbifica materies, cum humoribus sanis nimis arcte conjuncta, in morbis, praesertim febrilibus, a sanguine separata ad exitum praeparatur. Coctum est, quod evacuationem

c) Dissertat. de signis coct. in morbis, Halae.



expectat et vi naturae vel artis ope, cum levamine aegroti foras expelli potest. Ex his, quae de coctione statuimus, satis patet, quid sit cruditas in morbis. Est scilicet morbosa humorum mixtio, propter quam nocuum ad excretionem nondum aptum, progressum motuum corporis sani turbat. Quamvis enim cruditas et coctio tam ad solida *d)* quam ad fluida corporis humani referri queant, cum solidae partes quoque suo modo laedantur, adeoque in utrisque mixtionis mutatio produci possit, tamen cruditatem imprimis ad fluida, eorumque corruptionem ratione qualitatis, referendam et inde reliquas mutationes in corpore aegroti praesentes *e)* explicandas esse, credimus. Causas vero cruditatis plurimas easque potentiores non in fluidis, sed in solidorum morbosa conditione quaerendas esse arbitramur.

### §. 3.

#### De cruditate status biliosi in specie.

Maxime, ut credo, quum de promovenda coctione fordium gastricarum biliosarumque agendi animus sit, instituto meo problematis solutio respondet: quoniam fit fordium illarum conditio, quam crudam dicimus? — Difficilis sane est quaestio, immo fere ab omni parte non solvenda.

*d)* Pezold de prognosi in febr. acut. C. I. §. 9. sq.

*e)* Ludwig Institut. patholog. P. IV. pag. 160. Lips. 1752.



Causae multae sunt, multaeque latent, quae impediunt, quominus praefens bilis evacuetur. Duplex adesse videtur bilis conditio in morbis biliosis, quatenus vel cum sanguine mixta per omne corpus movetur, vel in hac aut illa parte stagnat. Illa, quae in sanguine est, ab eo segregari, inter se jungi, subigi blandiorque reddi debet, quo per organa excretoria expellatur. Ea, quae stagnat, ex varia ratione non expellitur, vel quia in organis excretoriis vitium est, vel quia ipsa materies expellenda tenax, ficca, picea, parietibus cavearum et solidis in genere adhaeret.

Quaedam fordes in sanguine sunt, ibique generantur, aut demum in illum invehuntur. Inprimis bilem in sanguine ipso hospitantem expectamus ab iis polycholiae causis, quae primarium effectum in ipsum sanguinem exercent. Ejusmodi causae sunt animi pathemata, prae ceteris ira, quae subito ingentem bilis copiam generat: porro transpiratio suppressa, incaloescentia corporis a calore externo, motu corporis valido, spirituoforum abusu, febre et aliis, quae secundum omnium sententiam bilem augent et acunt. A qualicumque sanguinis exaeftuatione materies in sanguine oritur excrementitia, quam veteres bilem adustam, sanguinem concrematum dicebant. Praeterea sine dubio materies excrementitia in sanguinem recipitur, per auctam resorptionem ex intestinis impuris, ex locis putridis ac ulcerosis et praecipue cum chylo crudo, animali, acri, nimis pingui vel glutinoso.



Haec bilis elementaris e sanguine simpliciter eliminari non potest, sed praeparatione indiget: debet enim prius a sanguine separari, inter se jungi, subigi et attenuari, ad organa secretoria, hepar scilicet adduci ibique secerni. f)

Ita et in quibusdam epidemiis pituitosis g) luculentur pituita simul in sanguine ipso haerebat, quod ex glutine per vesicantia adtracto, ex pituita in sanguine misso obvia apparebat. Haec pituita item ut evacuetur, efficacioris systematis vasorum actionem desiderat, eam scilicet, qua praevis subigatur, attenuetur et per organa secretoria separetur.

Altera fordiū biliosarum conditio est, ut stagnent et hac vel illa corporis parte quiescant, quatenus vel organa, in quibus stagnant, inertia sunt, spasmis et stricturis tenentur, vel quia fordes ipsae sunt ita piceae, viscidae, ut etiam organa sana eas evacuare non possint. Loci stagnationis vero in corpore humano multiplices et admodum diversi sunt, proratione idiosyncrasiae aegrotantis subiecti, pro causa et origine morbi, denique pro conditione materiae biliosae varia.

f) Ill. Reil, Praeceptoris mihi æternum colendi Tractat. de Polychol. Halae 1783.

g) Sarcone Geschichte der Krankheiten zu Neapel. Aus dem Ital. p. II. Zürich 1770.



1) In tela cellulosa b) fordes dictae nonnumquam quiescunt ibique deponuntur.

2) Ad vasa haematophora frequentius in morbis biliosis vera metastasis bilis contingere videtur, quod color flavus in erysipelate bilioso, pleuritis, rheumatismus, arthritisque biliosa indicant. 1) Spasmi tunc temporis in vasis sanguiferis sine dubio adfunt, qui bilem incarcerationant. Quo in casu spasmis resolutis bilis iterum in sanguinem recipienda est, ut evacuetur. Inprimis bilis picea et atrabilaria in ultimis arteriolarum

b) Borde vom schleimigten Gewebe pag. 97. 189.

2) Selle Rudim pyretol. method. p. 229. Berlin, 1785. Reil in part. posteriori, quæ inscribitur: fragmenta metaschemat. psychol. 119. et Fr. Xav. Haeberl de febribus annuis et in specie de febre activa 1784 pag. 57. Quodsi enim, inquit vir clar. biliformis materies cum humoribus circumvecta ad encephalum impetum fecerit, tunc phrenitis biliosa, deliria, sopores, apoplexiae et dirae convulsiones adeo nascuntur; si ad oculos ruat, ophthalmias, corneae opacitates, catharactas producet; si ad partes respiratori vel deglutitioni servientes decumbat, anginas biliosas; si ad thoracem, peripneumonias biliosas, pleuritides biliosas, asthmata biliosa, tusses biliosas, catarrhosque biliosos procreabit; si ad abdomen, tunc colicae biliosae, cholerae, vomitus, diarrhoea, dysenteriae, haemorrhoides ad vesicam et ad anum, uterini fluxus et abortus nascentur; ad articulos defixa, arthritides creabit; ad cutis superficiem projecta, exanthemata erysipelatoza, scarlatinoza, miliaria, petechialia herpetem, et scabiei quandam speciem proferet.



venarumque ramulis haesitare eosque obstruere amat. Frequentissime hoc fieri solet in vena portae, visceribusque, quibus vena portarum distribuitur. Haec evacuari nequit, quin primum diluta, attenuata et mobilis facta sit.

3) In vasis et glandulis lymphaticis, in quibus pituita, viscidus et crudus chylus imprimis stagnare eaque obstruere solet. Luculentissima hujus rei exempla ex febribus meseraicis, verminosis et atrophia infantum petuntur. Huc et pertinent fordium in glandulis intestinalibus earumque cryptis stagnationes. Effectus enematum Kaempferianorum id testari videtur.

4) Frequentius in hepate, quasi polycholia topica praesto est, ut ejus ductus biliferi, choledochus et vesicula fellea quasi bile repleta et infarcta sint. Contingunt in morbis biliosis febrilibus et apyretis stases et infarctus hepatici, dolentes et non dolentes, qui a materie biliaria, post factam sanguinis defoecationem ex secundis viis ad systema gastricum propulsa hepaticae turgido impacta, gignuntur. Ab uno emetico, quasi siphon aperiretur, ingentem bilis quantitatem eructatam videmus. Haec conditio provenit, vel quia hepatis vasa inertia, vel spasmus



affecta sunt, vel quia glutinosa viscidaque bilis validiori ad propulsionem stimulo indiget.

- 5) Denique in ventriculo et intestinis haerent fordes quietae ita, ut evacuari quidem possint, sed intestina inertia sunt, aut spasmo affecta, vel fordes tam viscida gaudent indole, ut parietibus firmissime adhaereant. Sub vomitu interdum integras laminas membranasque pituitosas, a parietibus ventriculi divulsas secedere observamus.

§. 4.

Et haec sunt, quae de cruditatis coctionisque natura, et conditione sordium gastricarum biliosarumque, quae crudae dicuntur, praemittere volui. Priusquam autem ad specialiores thematis mei contemplationem transeam, mihi de iis agendum erit signis et phaenomenis, e quibus status biliosi cruditas et coctio cognoscatur.

§. 5.

Signa generalia cruditatis coctionisque.

Ex coctionis et cruditatis signis celeritatem ac securitatem criseos praenuntiamus, immo ipsorum ope ad ea determinabimur, quae nobis in statu bilioso agenda et omittenda sunt. De his igitur notis ge-



neratim breviter differere, haud superfluum putavi. Petuntur autem partim a tempore, partim ab ipsis symptomatibus, partim ex humoribus excretis. Ex tempore morbi in statu gastrico, ratione coctionis et cruditatis, parum determinare possumus: morbi enim biliosi ratione durationis admodum variant, nec ad definitum tempus judicantur. Praecipua itaque signa a symptomatum excretorumque humorum conditione desumenda sunt. Quare ad signa generalia cruditatis fordium gastricarum referenda sunt

- a) Urina cruda vel omnino turbida et jumentosa, vel transparens sine nube et sedimento. Verum etiam urina hypostatica cruda esse potest.
- b) Foeces non coctae, vario modo ratione quantitatis et qualitatis hoc stadium designare possunt, e. g. feccus alvi spumosi, aquosi, prafini coloris, vulgo crudi sunt.
- c) Cutis sicca, arida aut sudor symptomatikus. Hic saepe supervenit, si jam debilitate ideoque cutis laxitate aeger laborat.
- d) Nullum levamen ab evacuatione spontanea et artificiali, potius augmentum symptomatum.
- e) Lingua vel pura, vel sicca et fusca vel epithelio firmo quasi piceo obducta. Interdum etiam ita glabra et rubra, quasi vernice obducta sit, apparet, ut omnes linguae villi disparuisse videntur.



f) Passiones variae morbosae, inter quas cephalalgia k) prae ceteris notari meretur.

Signa generalia coctionis sunt:

- a) Urinae sedimentum album, ut plurimum vero lateritium aequale et laeve, quod plerumque primum factae coctionis indicium praebet.
- b) Sudor calens, levans, non nimius, per totum corpus aequalis.
- c) Lingua humida, quae antea sicca et dura erat, crasso, turgido flavoque epithelio obducta, ut ungue abradi possit.
- d) Sapor amarus, nausea, pressura scrobiculi cordis, vomituritio, ructus et anxietates praecordiales variaeque aliae abdominis passiones.
- e) Alvus a crassiori consistentia. Nonnumquam diarrhoea cum levamine.
- f) Omnes partes, quae in cruditate durae, ficcae rigidaeque erant, arteriarum ictus, cutis, tendines carpi, musculi abdominales majorem acquirunt flexibilitatem, molliem, et pressurae magis obediens cedunt.
- g) Imminutio reliquorum symptomatum, imprimis febrilium, sitis, caloris etc.
- k) Rahn de miro inter caput et viscer. abdominal, commercio §. 8. feq. 1783.



Sufficiant haec generalia, cum in quavis speciali causarum disquisitione, specialia accuratius pertractare animus sit. Hoc vero addam, signa coctionis cruditatisque non singulatim sed universim spectanda esse. Non ex uno enim, sed ex complexu omnium symptomatum demum verus morbi status eruendus est.

§. 6.

Causae specialiores cruditatis fordium  
gastricarum biliosarumque.

Causae, cur fordes evacuari nequeant, pendent vel a conditione fordium ipsarum, quae nimis siccae, tenaces et acres esse sibi quae ipsae exitum praeccludere possunt; vel a conditione corporis, quatenus propter solidorum vel nimis vel parum activorum, vel propter motuum irregularium, stricturarum vel spasmodorum praesentiam evacuationem impedit. Tertium non datur. Itaque ad hanc normam, hanc materiem, meo quidem iudicio aptissime pertractari posse credidi. Propius igitur ad propositum accedam.



---

## SECTIO. II.

### P. A. R. S. I.

Causae cruditatis in materia evacuanda ipsa  
obviae.

---

#### §. 7.

Causae, quae cruditatem morborum biliosorum sustinent, in materia ipsa evacuanda haerere possunt. Huc pertinent

i. Pituita viscida et tenax, quae tam firmiter inter se et cum solidis cohaerere potest, ut hac ex ratione evacuari non queat.

Haec tenacitas duplicis originis deprehenditur. Nempe nonnunquam ab aquae defectu provenit. Hoc fieri solet in hominibus satis robustis, ab humorum motu aucto, defectu potus, aestate fervida aliisque causis, quae aquam e corpore fugant. In tali statu mucus narium in frustra siccatur: os et lingua viscosa et arida fiunt. Cognoscitur hic status ab urina modica et rubra, alvo dura, universim a defectu aquae in ceteris omnibus corporis secretionibus.



tionibus et excretionibus. Haec visciditatis species, ut emendetur, aqua multa bibenda est, saponacea, cum melle mista, infusa aquosa ex Scorzoner., Cichor., Saponar. similibusque plantis parata, in quibus tamen omnibus, magis ad aquae copiam, quam ad partes medicamentosas respiciendum est.

Altera viscidae pituitae species, seu gluten iners, spontaneum, adest ab inertia solidorum, quae tenacem materiam subigere, attenuare et diluere propter infirmitatem non valent. Haec visciditas cum abundantia aquae, quod singulare est, in ipsis serosis phlegmaticisque hominibus locum habere potest 1). Organa digestionis majorem hujus mucii copiam producent, quoniam relaxata sunt; in sanguine item mucii abundantia existit, propter eandem laxitatem solidorum, quae chylum crudum ex nutrimenti absorptum bene elaborare et omni humorum massae aequabiliter miscere nequeunt. Inde ubique colligitur in sanguine et in intestinorum tractu, dum vasa resorbentia aquosam partem demunt, viscidam relinquunt, quam nulla languidi motus peristaltici vis porro subigere potest, nisi ille excitetur et gluten resolventi medicamine incidatur. Signa, e quibus hic status cognoscitur, sunt: lingua glutinosa, alba, quasi lardo obiecta: etiam fauces interdum hac mucosa forditie obducuntur. Urina tenuis

1) Boerhaave de glutine spontaneo. Vid. v. Swieten Comment. T. I. p. 2.



limpida: sanguis glutinosa crusta obtegitur, immo vesicatoria ipsa viscidam collam attrahunt *m*). Febris plerumque lenta, quae a pluribus autorum varias denominationes obtinuit. Huc v. c. pertinere videtur BALLONII Febris gastrica *n*). BAGLIVII Febris mesenterica *o*) GRANTII Synochus non putris *p*), HUXHAMI Febris lenta nervosa *q*), STOLLII, SARCONNE aliorumque Febris pituitosa. Ad hujus colluviei coctionem promovendam medicamina ea adhibenda sunt, quae gluten incidunt, solida non debilitant, sed eorum tonum augent actionemque excitant. Huic scopo respondent Sal ammoniac. Tartari depur. Rad. ari., Rheum, Sulphur antim. aurat., Tartar. emet. refracta dosi, emetica leniora, motus corporis, equitatio, frictio abdominis, electricitas, et alia, quae actionem musculorum vasorumque augendo, crudam materiem subigunt, ex sanguine secerant, et ad evacuationem praeeparant.

§. 8.

2. Colluvies verminosa, quae multum cum antecedente statu convenit. Pituita enim abun-

*m*) Sarconne L. c. Tom. II, p. 172.

*n*) Opp. L. 2 Epid. pag. 78.

*o*) Opp. pag. 52.

*p*) Observat. on the Fevers Vol. I, p. 163.

*q*) Opp. Tom. II,



dans generationi et procreationi vermium favet :  
 et vice versa vermes, teste experientia plurium auto-  
 rum, raro absque pituita inveniuntur. „Nidum dat  
 (vermibus), inquit immortalis BOERHAAVE r)  
 pituita intestinalis vel gastrica, in qua haerent, fo-  
 ventur, pariunt, augenturque“. Combinatio itaque  
 pituitae primarum viarum morbosae cum vermibus,  
 ideam colluviei verminosae exhibet. Haec collu-  
 vies, natura sua iners, magis minusve viscida ac  
 spissa est, quod causae, symptomata, atque inpri-  
 mis excretorum per os aut per alvum, in morbo  
 verminoso aspectus docet. Huic pituitae cum ver-  
 mibus conjunctae etiam varia vermium symptomata  
 tribuenda sunt, e. g. abdomen tumidum, lingua lar-  
 dacea, atrophia, secessus pituitosi, urina pallida,  
 oris halitus foetidus, appetitus saepius depravatus,  
 ventriculi dolor, pondus, murmura, alvus in-  
 confans, modo suppressa, modo laxa, grisea, te-  
 nesmoides, vitia mictionis varia, et alia, de qui-  
 bus FORESTUS s) VOGEL t) DE HAEN u) WEL-  
 SCHIUS x) WAGLER y) pluresque alii men-

## B 2

r) v. Swieten comentar. in Boerhav. Aphorism. T. IV.  
 §. 1361.

s) Observat. et curat. med. lib. 21.

t) Praelect. de cognosc. et cur. praec. affect. §. 1740.

u) Rat. medendi T. XII.

x) Journal de medicine T. XX.

y) De morbo mucoso.



tionem fecerunt. Haecce colluvies verminosa facilius in pueris laxis et phlegmaticis, omnium functionum, praecipue digestionis languore laborantibus, a victu crudo, succorum copiam inertem et pituitosam inducente, oboritur. Huc referenda sunt alimenta dyspepta, pisces et carnes duriores, copiosius deglutitae, legumina, solana tuberosa, quae ultima ab Ill. BALDINGER 2) praecipue accusantur. Accedit abusus nostri aevi quotidianus potuum calidiorum. Praeclare de his monuit VAN DEN BOSCH a) iniqui: „Pessimus insuper invaluit mos, ut cibus vix deglutitis, calidae potiones theae mox inundent assumta, quae, etiamsi putrescibilis ingestorum indoles iis supprimi posse videatur, vim tamen ventriculi coctricem et intestinorum in ingesta valde debilitant, bilemque enervant, seseque ad verminationes valdopere aptas reddunt“. — In curatione igitur primum momentum, quod BOERHAAVE b) commendat, est, ut ad destructionem nidi pituitosi respiciamus. Haec autem collosa saburra raro mox evacuari potest, sed plerumque praeparationem desiderat. Huic scopo inserviunt amara, qualia sunt Sal Anglic: Seidenschütz. cet. nec non Merc. dulc. et alia, quae viscidam pituitam solvunt. Soluta tum per medicamina anthelmintica sic dicta et laxantia Mercuralia ac Jalappina educantur.

2) Von den Krankh. einer Armee. p. 416.

a) Hist. constit. epidem. verminos. p. 24.

b) L. c. T. IV. § 1369.



## §. 9.

3. Polycholia atrabilaria. Nota atrae bilis characteristica non solum elatior color, sed in primis visciditas est, quae existere amat in subjectis siccis, senilibus, fibris strigosis praeditis, oriturque ab aëris vicissitudine, abusu spirituosorum, victu farinaceo, leguminoso, demum ab affectibus animi tristibus, qui organorum secretoriorum et excretoriorum languorem inducunt. Haec Polycholia, ex praeternaturali visciditate succi biliarii orta, quae fontem tantorum malorum continet, cujusque genesin et medelam Illustres Viri GRANT c) et REIL d) egregie pertractarunt, variis symptomatibus sese manifestat. Sequentia eorum prae reliquis notatu digna videntur: videlicet color corporis pallidus, lingua mucoso et tenaci epithelio obducta, pulsus tardus et lentus. Aegroti debiles, tristes sunt; appetitus plerumque nullus, tensio et ponderis per omne corpus sensus; aestus praecordiorum; urina modica, crassa, turbida, obscurioris coloris; alvus dura, obstructa. Sed omnia haec mala, ut cum GRANTIO e) loquar, tolli nequeunt, nisi prius materies solvatur, diluatur, sicque per alvum et quidem atrae bili, colore et crassitie similis, evacuetur. Medela igitur atrae bilis ita instituitur, ut primum

c) L. c. p. 393. seq.

d) L. c. T. II. pag. 46. seq.

e) L. c. p. 413.



efficaciora resolventia propinentur, propterea, quod semper praeparationem desiderat. „Ea, quae digerunt, inquit BURSERIUS *f*), incidunt, attenuant, materiam fluidiorem reddunt, in febribus gastricis solummodo expediunt, cum tenax inersque bilis ventriculo intestinisque adhaerescit aut bilis, spissitudinem piceam adeptam, choledochum cystimque felleam opplet“. Huic fini inserviunt decocta saponacea ex Hb. et Radic. aperientibus cum melle, succ. resolvent. Fumar. Taraxac. Scorzon. Cichor. serum lact. aq. tepida; Salia Media Sulphur antim. Sal. com. Calomel. cet. Minime autem haec promiscue adhibenda, sed ea solum in usum vocanda sunt, quae aegri dispositioni, indolique materiae peccantis conveniunt. Ad materiam itaque resolvendam et ad evacuationem disponendam in subjectis humidis et frigidis, qui frigore corporis, pulsu languido, inertia et torpore solidorum, temperamento phlegmatico patiuntur, magis valent fortiora resolventia v. g. Gum. ammoniac, Galban. Hellebor., Extr. Aloes, sapo, Ass. foet. Calom. Kermes mineral. Econtra si in hominibus calidae temperiei calorem multum, pulsum satis fortem et frequentem habentibus, succus biliarius pervia obstruit inque vasculis minimis stagnat, melius inserviunt ad solutionem antiphlogistica et saponacea aperientia v. g. Decocta ex Taraxac. Gramin. Saponar. Ci-

*f*) Instit. medic. Vol. I. pag. 460.



chor. mel, aqua, nonnulla falia media. Denique si glutinosa haec et atrabilaria materies coli cellulis, gyris loculamentisque firmiter impacta est, ibique per menses, immo annos, immota haeret, viscerum infarctus, morbos capitis, variaque alia mala chronica efficit, (de quibus KAEMPF g) egregie differuit); tunc enemata Kaempfiana v. c. ex decoct. spec. splanchnicar. optimo cum successu propinantur. Quod si intestina nimis irritabilia sunt, laudatur Gum. ammoniac. largiori dosi adjectum. Etiam adjungi possunt catapl. emollientia discutientia, ex Rad. alth. Hb. cicut. Hyoscyam. cet. Boni ominis est, inquit Celeb. REIL b) dum, usu resolventium durante, symptomata interdum augentur, quia materiam mobiliorem redditam indicant. Acrimonia, viscido involucro depressa, evolvitur atque ex resoluta materia existunt pulsus inaequalis, nauseae, anxietates, colici dolores, tenesmus, borborygmi, vertigo, immo nonnunquam febriles motus, qui cum non excedunt, optimi resolventis vices agunt.

§. 10.

4. Sordium acrimonia. Bilis interdum ita acris observatur, ut veneni acerrimi effectus edat,

g) Enchyrid. medic. p. 106. — ejusdem Dissert. de Infarct. vafor. ventricul.

b) L. c. T. II. pag. 73.



tunicas ventriculi arrodant, villosam in vesiculas elevat, cruciantesque dolores excitet. Bilis tantae acridinis observata est, ut dentes sub vomitu stupefaceret, metalla solveret atque odore ita penetrante esset, qui sternutationem et lacrimationem oculorum excitaret. BORELLI *i*) de bile loquitur ita acris, ut in terram effusa aquae fortis instar efferveret. BORRICHIVS *k*) historiam morbi adolescentis narrat, cui bilis acris non solum ventriculum arrosit, sed universim plurima symptomata obtulit, a veneno oriri solita.

Praecipue ab ira bilis vehementem et subitam acrimoniam contrahere potest, ut vomitum, diarrhoeam, colicam, febres, convulsiones, spasmos, dolores dorsi, sitim inextinguibilem, pleuritidem spuriam (Gallenstich) ardorem ventriculi excitet. Saepe his in casibus bilis prasimum, aeruginosum alliaceumque colorem habere solet *l*). Haec acrimonia illi adhaerens varia esse potest.

a. Rancida in obesitate, febre vehementiori correptis, a pinguedine, lardo, ovis, butyro empyreumatico copiosius assumtis et non digestis, variisque aliis causis oritur. Diagnosin illius

*i*) Observat. 1. cent. 2.

*k*) Act. med. Hassn. T. III. observat. 36.

*l*) De bile acris Baldinger neues Magazin, I. Band 2. St. S. 124. et Reil l. c. Polych. aerefact, pag. 19. p. II.



ex causa praegressa et ex ructibus olidis, fauces exurentibus, fiti, ardore ventriculi, urina flammea et acri, sudore pingui cet. petimus.

- b. *Acida*. Ructus acidi adsunt, materia acidolaustra dentes stupefaciens, et sapore ac odore acidissima, fauces exurens, cum vomitu ejcitur. Colore viridissimo, prasino, aeruginoso, porraceo eructatur bilis: foeces viridescentes sunt, dentes vomitu stupefacti, rauca in oesophago sensatio et habitus corporis pallidus, evomita materies in terram ejecta aquae fortis instar effervescit. Lingua interdum mucosubviridi obducta, alvus plurimum obstructa, urina subviride sedimentum interdum deponit. Scybala dura, globosa, nigra, viridia. HUXHAM ipsum sanguinis serum viridis coloris invenit, immo salivam *m*).

Bilis coagulatur, stagnat in vesicula fellea et ductibus hepaticis. Chylus igitur, ejus operatione privatus, crudus et glutinosus sanguinem subit et gluten auget. Urina biliosa, quia bilis

- m*) Nuper ipse in schola clinica virum adultae aetatis observavi, peripneumonia biliosa, a praegressa iracundia laborantem, in quo materia cum vomitu et per alvum secedens, et imprimis sputa intime ita viridia erant, ut quasi viridi aeris tincta viderentur. Haec discolor excretorum conditio, per omne cruditatis stadium perdurans, sub coctione et crisi paulatim disparuit.



secretio languet. Existunt coagula, humorum obstructions, constrictiones vasorum, dolores colici etc. Nasci amat ab abusu fructuum immaturorum, vini auferi: in hominibus debilioribus e succis inquilinis fatuis, ventriculo debili. Immo dulcia et acefcentia, mespillus, prunus silvester, cidrus, mustum, cerevisia non fermentata eam producent. Acida haec bilis acrimonia, de qua *НУХНАМ* *n*) optime scripsit, tempore autumnali, quo vires digestrices languent, frequentius occurrit, quam verno.

c. Putrida cognoscitur ex nausea, vomitu, ructibus nidorosis, fiti multa, flatibus et fedi- bus putridum olentibus, ex aversione ab ani- mali victu, acidorum desiderio, atque urina magis tincta. Haec acrimonia ea est, quam *GRANTIUS* *o*) describit. Existit saepissime tem- pore aestivo, in dispositis corporibus laxis, a victu copioso carneo, nimia exercitatione cor- poris sub sole; in regione, cujus aër putridis et mephiticis vaporibus contaminatus est.

Praeterea bilis, mucus praesentesque fordes va- ria alia acrimonia, saepissime ignota, laborant. Haec

*n*) Cap. de colica damnonior.

*o*) Loc. cit. cap. constit. synoch. putrid. T. I.



nimis acris materies praeparatione indiget, quoniam cruda est. Sed qua ratione acrimonia bilis, ejus cruditatem foveat? multiplici sane modo, dum solidorum motum vel supprimit vel nimis intendit, vel vario modo irregularem reddit. Putrida bilis omnino vi sedativa et narcotica gaudet, vires vitales nervorumque actiones debilitat, et hac via motus ad excretionem necessarios supprimit potest. MONRO p) in quadam febris pulsus semper rariorem observabat, dum bilis accumulabatur, qui, bile evacuata, praeteritam frequentiam statim recepit. Praeterea alia acrimonia, solida nimis stimulat, ad motus excedentes et irregulares compellit, spasmos, fricturas, hypercatharses et hyperemeses frustraneas excitat. Cholerae, diarrhoeae, dysenteriae, sudores symptomatici biliosi, hujus rei exempla sunt.

Methodus medendi. Hac in conditione status biliosi, turbulenta evacuatio omnino institui nequit, sed antea crudae materiei coctio promovenda est. Quod medicus, triplici indicatione ductus, efficere potest: a) scilicet ad generalia praecepta curat, ut acrimonia mitigetur, partesque corporis ab ejus damno defendantur. Hac de causa involventia conveniunt, v. c. decocta Hordei, Aven. Corn. Cerv. Cataplasma emollientia hypochondriis imposita, enemata sopientia, quies perfecta animi et corporis. b) In specie vero ad naturam acrimoniae bilis re-

p) Loc. cit. pag. 225.



spiciatur. Acrimonia si rancida est: Sachar. cum Crem. tart; Morfuli citrati; si acida: Juscula de Corn. cervi, vitellis ovorum, aqua calcis pro potu, Magnesia calcinata; si denique putrida: acida vegetabilia, et mineralia, Sal Tartari essentiale, Crem. tart. refracta dosi, Pulpa Tamarindor. alia adhibeantur.

c) Denique ad phaenomena et passiones respiciatur, quae ex bile acri orta sunt, eaque pro natura diversa tractentur. Amplus sane iterum medici auxilii campus! Si ex bile acri excretionis nimis intensae nascuntur, spiritus Riveriani, decocta mucilaginosa, anima Rhei, etc; si inflammationes producit, pro rerum adjunctis mucilaginosa, cataplasmata, pediluvia et alia derivantia, venaesectiones, camphor. et vesicatoria adhibeantur. Si spasmi irritationesque nervorum surgunt, semicupia, involventia, cataplasmata, immo pro rerum statu sedativa in auxilium vocanda sunt.

Tantum de prima dissertationis parte, scilicet de cruditatis causis, in ipsa materia expellenda quaerendis. Progredior ad alteram illius partem.



## P A R S. II.

Causae cruditatis in conditione corporis  
obviae.

## §. II.

In altera dissertationis meae parte, eas cruditatis morborum biliosorum causas earumque medelam inquirere conabor, quae a conditione vitiosa hominis aegrotantis propullulantes coctionem materiae biliosae impediunt. Hac in disquisitione primum ea fluidorum vitia percurram, quae coctioni obstant, tunc solidorum morbos, cruditatis causas continentes, enumerabo. In fluidis plethoram et sanguinis spissitudinem atrabiliariam, in solidis motus excedentes, vel languidos vel irregulares, tamquam causas cruditatem foventes perquiram.

## §. 12.

Humorum vitia, quae cruditatem sustinent.

Primo mihi erit inquirenda fluidorum conditio vitiosa, quae coctioni obest, eaque duplex esse potest.



1. Sanguinis spiffitudo atrabilaria, qua ejus fluidiffima pars vel a spiffioribus fecedit, vel omnino perit, terrestria et fixa magis inter se uniuntur et id, quod supereft, immeabile, craffius, colore folito nigrius apparet. Produntur hi humores atrabilarii colore corporis flavo et fusco, pulfu raro, languido et duro, cute ficca, oculis cavis, habitu corporis ftrigofa et macilento, moeftitia, folitudinis amore, aliisque fignis.

Hoc in ftatu, ut nocuorum fecelfus a fanguine spiffiori irretitus omnesque fe - et excretiones propter languorem circuitus humorum impeditae funt, necelfe eft. Alvus dura, cutis arida eft, urina parce mingitur. Imprimis vero in iis corporis partibus, quibus per fe jam moleftior fanguinis motus eft, in vifceribus nempe iis, quae vena Portarum adit, fecretiones languent, bilisque fecretio in hepate tardior fucce-  
cedet.

Hoc in ftatu medici eft, ut ad fordium coctio-  
nem efficiendam, prius fanguinem diluat ejusque fpi-  
ffitudinem corrigit. Quod vero fere unius Aqua e  
ufu praeftat, quae fola fluiditatem exhibet, fangu-  
inemque aduftum temperare et folida rigida emollire  
poteft. Aqua quavis via per os et anum, porosque  
reforbentes, cum cibo et potu, aere humido, bal-  
neis et enematibus in corpus immittatur. Praeter  
haec plura alia remedia commendata funt, dulcicia,



facharum, mel, manna, Hbae et radices aperientes, fructus horraei acido-dulces, aquae minerales, salia media, alcalina, saponos, Antimonialia, et mercurialia. Haec vero omnia non immediate, sed magis auxiliando virtuti aquae, operari videntur. Faciunt, ut aqua facilius corpus penetret, diutius retineatur, solidaque ad coctionem torpida excitentur.

2. Plethora vera. Hoc vitium humorum, respectu abundantiae peccantium nascitur, si homines, lauto aut abundanti victu utentes, insuper vitae sedentariae addicti, appetitu gaudent ciborum integro, bene digerunt et nutriuntur. Cognoscitur ex facie florida, subrubea, capitis gravitate et dolore inprimis sub ossè frontis; ex vertigine, aurium tinnitu, ac subitanea delassatione post motum corporis susceptum; ex moliminibus ad haemorrhagias aetati convenientes, pulsu pleno, duro, tardo, atque a levissima causa concitato, nausea, vomendi cupiditate, si vasa ventriculi sanguine oppleantur, urina saturata, etc.

Hoc ex statu plethorico variae propullulant causae, quae sanguinis defaecationem a bile ejusque coctionem impediunt. Vasa, solidaque omnia extensa, inertique pondere obruta sunt. Sanguinis abundans copia stimuli instar agit, solida irritat, vasorumque ostia constringit. Haec per intervalla a stimulo incitata, ad abnormes motus abripiuntur,



quibus molestum removeve student impedimentum. His peractis fatigata languent. Solida ad functiones imparia ubique lassitudinem inducunt. Omnes se - et excretiones languent, organorum oscillatio expedita deficit, transpiratio modica, urina parca et rubra, alvi secessus duri sunt. Nonnunquam sola plethora emanationis catameniorum causa est, quae, detracto aliquoties ex inferioribus sanguine, sponte apparent.

Plethora haec suis signis dignoscenda, omnino ante fordium evacuationem venaefectionis administrandum postulat: hac enim aequilibrium, dicente LUDWIGIO *q*) inter solida et fluida restituitur, quo facto, se - et excretiones et reliquae humorum corporis elaborationes ex voto succedunt. Male igitur in corpore pleniori evacuantia, etsi indicata, adhiberentur: nullos enim non solum praestant effectus, sed in damnum propinantur. Si emetico opus est, inquit VAN SWIETEN *r*) quandoque venaeffectio praemittitur, ne inter vomendum sanguine distenta vasa, imprimis in capite violentis illis visibus rumpanantur. Immo SYDENHAMUS *s*) venaefectionem prophylactice insituendam admittit in vernalibus tertianis,

*q*) L. c. p. 44. C. III.

*r*) Commentar. in Boerh. aphor. T. II. pag. 553.

*s*) Oper. Med. T. I. pag. 32.



tianis, imprimis si vomitorium exhibendum est. Similia leguntur apud GLASSIUM 1) TORTI 2) LUDWIG 3) VOGEL 4). Pari modo, plethorico homini alvum purgantia, quae licet sine damno gravi propinentur, saltim absque fructu exhibebuntur, quoniam ob spasmos enatos secretio intestinalis prohibetur, immo resorbtio assumptorum retardatur, ut et reliqua medicamina absque omni successu adhibeantur. In plethoricis, inquit VOGEL 5) laxantia difficiliter agunt, et melius operantur, praemissa venesectione.

§. 13.

Solidorum vitia.

I. Solidorum actio aucta seu diathesis inflammatoria.

Sanguis, hac in conditione, inflammatoria spissitudine patitur, in solido vivo nimis vehemens reactio adest, et ille status existit, quem febrem inflammatorio-biliofam vocamus. Calor insignis obtinet, capitis dolor vehementissimus, deliria furiosa, facies rubra, oculi rigidi, lucis impatientes, respiratio difficilis, pectoris oppressio, pul-

1) Loc. cit. pag. 100.

2) Therapeut. Special. C. IX.

3) Institut. Therap. general. p. III.

4) L. c. p. 19.

5) L. c. pag. 98.



fus durus et fortis, sanguis e vena missus phlogisticus, urina parca, rubra, alvus dura et in genere suppressio omnium secretionum. Febris magis continens est, cum vera gastrica magis remittitur. Hoc in flatu nulla salutaris coctio fieri potest. Nam fere omnes crises criticaeque evacuationes sanguine moderatius moto fiunt. Sudor, urina, sputa critica nunquam existunt, quamdiu febris vehemētissima fervet. Ita etiam nulla separatio partium biliosarum a sanguine, nulla bilis evacuatio ex hepate, nulla fordium ejectione ex tractu intestinorum salutaris fieri potest. Sordes quasi a tensis solidis incarceratae sunt, sub vehementi motu poris excretoriis quasi praetervehuntur. Lingua sicca, tractus intestinorum aridus est, ubique defectus aquae, omnes se-et excretiones ob nimium spasum et tensionem vasculorum quasi suppressae sunt. Inconsulto nunc evacuantia adhiberentur: nam nihil evacuare possunt, quia omnia cruda sunt. Si hoc tempore purgares, quo integrum systema vasculosum summa in tensione est: solus limpidusque liquor evacuetur, cuius secessus lentorem febrilem fordiumque cruditatem auget. Immo ab emeticis, vehementior sanguinis ebullitio, congestiones, inflammationes topicae oriri possunt. Ex cathartorum usu periculum est, ne intestina tensa irritentur et inflammentur, universim naturae molimina turbentur. Minus autem commode, inquit GLASSIUS a) me-

a) Comment. de Febr. pag. 101.



dicamenta purgantia ferunt febres acerrimae, continentes, quia hae nulla libera spatia habent. His igitur medicamina opponere non oportet, donec remiserit febris: quae praecepta jam ab HIPPOCRATE *b)* data sunt.

Hic status expectandus est,

1.) Si in aetate juniore, hominibus bene partis, temperamento cholericis et sanguineo, bono corporis habitu, plethora gaudentibus, febris biliosa supervenit.

2.) Si talia praecefferint, quae celefaciunt diathesinque phlogisticam inducunt e. g. si febris biliosa ab intenso labore motuque corporis vehemente orta est. Porro si vera symptomata inflammatoria pleuritis, enteritis, gastritis, angina biliosa etc. adfunt.

His in speciebus coctio efficitur remediis, quae actionem cordis et arteriarum nimis vehementem imminuunt, solida tensa relaxant, spasmosque tollunt, qui a violenta reactione producuntur. Eadem ex ratione in pleuresia post venaesectionem sputa et sudores critici oriuntur.

C 2

*b)* Libr. de purgantib.



Hoc in casu omnia irritantia sensuum in - et externorum, quae stimuli accessorii instar febrem augment, evitanda, sicca humectanda, immo remedia exhibenda sunt, quae vi sedativa gaudent e. g. salia media, inprimis nitrosa. Etiam hoc in statu acida conferunt vegetabilia e. g. Acid tartar., Citr. aceti, potus aciduli, cet., quae febris fervorem nimium impetusque excandescentes compefcunt, calorem resrenant, phlogiston cohibent, cordis arteriarumque irritabilitatem imminuunt. Plurimis in speciebus status inflammatorius febrium biliosarum ita mitis est, ut indicata haec remedia sufficiant. Si vero fortior insurgit naturae reactio: summum antiphlogisticum, scilicet sanguinis missio non negligatur. Saepe a venae sectione instituta signa bilis apparent, quae antea deficiebant. Quamquam enim in morbis biliosis sanguinis missio in multis practicorum scriptis male audiat, experientia tamen docuit, interdum vomitum biliosum vel diarrhoeam ex venae sectione nasci. Nam universalem spasmus tollit, ut vasa eo expeditius possint in materiam agere, sicque separationem efficit materiae biliosae, vasis repletis liberiores motum reddit, et visceribus functionem: quo quaevis nocua, a sanguine separantur c). NEUMANN (de emeticis) tunc dicitur, inquit, aegris in morbis biliosis aestivis et autumnalibus, ob febris

c) Stollus (rar. medend. T. II. p. 97.) ipse, [qui ceterum nimius venae sectionis in morbis biliosis contemptor est, eam in hac specie admittit.



vehementiam largiter vena. Facile tunc in animi deliquium incidunt, ex quo excitati plerumque mobilem et acrem bilem largissime evomunt. Plura exempla ejusdem argumenti in scriptis practicis leguntur.

## 2. Solidorum inertia, virium vitalium languor, atonia.

Haec Solidorum inertia, ubi existit, certo causa perdurantis cruditatis censenda est. Solida enim sunt, quae admiranda sua virtute, mechanismo et variis actionibus bilem imprimis coquere debent. Inertia eorum ex varia causa, a laxitate, atonia, defectu irritabilitatis et sensibilitatis oriri potest, estque vel universalis, per totum corpus distributa, vel topica, in hac aut illa parte obvia.

a) Atonia ventriculi transitoria a causa quadam fugitiva, debilitante, quae sordes generans, simul tonum ventriculi labefactavit. Qui genio indulserunt, ab epulis, et vini abusu nocturnisque potationibus obruti sunt, altero mane languent, urinam crudam habent, varias passiones, borborygmos, ructus, nauseas sentiunt d). Curantur quiete ventriculi, ab esu ciborum solidorum, lactucario halecis, pauculo vino, motu

d) Sauvages sp. I. a crapula.



corporis a somno et somno post pastum. Omnes hae res restituunt ventriculo tonum, qui a praegressa ejus repletione labefactatus fuerat. Altero mane surgentes urinam coctam emittunt, qua materies evacuatur, vel sub somno sudant, vel diarrhoea corripiuntur. Si vero aquosa tepida bibunt, juscula edunt, pejus se habent.

b) *Atonia chronica organorum digerentium* seu *dyspepsia*, quae vel *nativa* vel *acquisita* est. Consistit *toni defectu* et *fibrarum muscularium horum organorum debilitate*. Ea est, quam *CULLEN* e) *Dyspepsiae nomine* pertractat, et ad *quandam peculiarem speciem*, quoniam *haud raro pro malo idiopathico* dignoscitur, *reduxit*. f) *Hunc statum* indicant, *nausea*, *eructationes frequentes*, *ruminationes*, *defectus appetitus*, *molesta flatulentia*, *alvi difficilis exoneratio*, *corporis debilitas* et *consumptio* potius quam *bona nutritio*. Igitur ex hoc *statu morbofo* frequenter *hectica gignitur*, et *atrophia infantum* prodit, *Ortum* ducit a *causis*, quae vel *proxime* vel *remote* *fibras horum organorum musculares* relaxant, *distendunt*, et *vim nervorum* debilitant. Ad *primam* causarum

e) First lines of the practice of physic Vol. III. Cap. 2.

f) Kurzer Inbegrif der medicinischen Nosologie p. 272. Sp. XLIV.



classiem referenda sunt: Abusus potuum calidiorum, vomituritiones continuæ frequentes, impletio ventriculi frequentissima, venena assumta: ad causas, tonum ventriculi remote debilitantes, pertinent: vita sedentaria, (quapropter hoc morbo maxime Litterati competunt) abusus veneris, protractiores animi labores etc. In curatione talia medicamenta eligenda sunt, quæ tonum restituunt et motus peristaltici ventriculi et intestinorum languorem tollunt. CULLEN g) dicit. „There is so much connection between the several portions of the alimentary canal with respect to the peristaltic motion, that, if accelerated or retarded in any one part, the other part of it are commonly affected in the same manner. Thus as the brisker action of the stomach must accelerated the action of the intestines, so the slower action of the intestines, must in some measure retard that of the stomach.“ Huic fini omnino respondent, lignum quass. aquae spadanae, pyrmontanae. Hoc remedio nullum sane contra hunc statum præstantius esse affirmat BANG. b) Conferunt porro potus modici roborantis indolis, modica vini rubri pro prandio portio, Infus. Centaur. minor., summitat. Absynth. Cel. BANG i) exem-

g) L. c. T. III, p. 236.

b) Prax. medica p. 270.

i) Diarii selecta. p. 269.



plum memorabile narrat de puella, pertinaci Dyspepsia laborante, quae post plura alia vane tentata, hoc infuso indies hausto sanata est. Usus quoque externus aquae frigidae et corporis exercitia in auxilium vocanda sunt: nam dicente CULLENIO k) „As exercise strengthens the whole body, it must also strengthen the stomach; but it does this also in a particular manner, by promoting perspiration, and exciting the action of the vessels on the surface of the body, which have a particular consent with the muscular fibres of the stomach.“ Quandoque autem exoneratio alvi his remediis adhibitis non sponte procedit, quo casu resolventia optimo cum effectu jungenda sunt.

c) Hepatis et lienis inertia et obstructio.

Si hepatis functio languet, bilis a sanguine secreta in ductibus biliariis, ac vesica fellea stagnare solet, quin in duodenum effundatur. Febris raro multa adest, signa bilis pauca, sed varia incommoda praecordiorum, ponderis sensus in hypochondrio dextro, tensio a vesicula fellea ad scrobiculum cordis, secundum situm choledochi anxietas, digestio laesa, tussis quandoque sicca, sensatio plenitudinis circa praecordia, adnatae color vel flavus vel pallidus cet. Hac in con-

k) L. c. T. III. p. 243.



ditione natura quasi una tantum adhortatione indiget, ut coctionem et bilis expulsionem perficiat. Detur emeticum et nauseosum, quod hepar comprimit, ductus emulget, vasa se- et excretoria stimulat ideoque languentem hepatis excretionem in efficaciorum convertit, ut novae quantitatis ex sanguine recipiendae spatium praemittatur.

„Die Brechmittel inquit N<sup>ose</sup> l) bewürken eine lebhaftere Bewegung der Säfte in der Leber und folglich eine stärkere Absonderung gallichter oder sonst verderbter Materien, und befreyen das Blut von einer beträchtlichen Menge derjenigen Theile, die durch den vorhergehenden Krankheitszustand angehäuft sind.“ — Unde nonnumquam tanta biliosae materiae copia iterato vomitu ejicitur, quanta neutiquam duodeni latibus excipi ac comprehendi potuisset. Expertissimus STOLL m) hoc sequentibus verbis affirmare videtur, scribens: „Sic nulla saepe primarum viarum affectarum apparere signa, quibus confusus emeticum tuto exhibere potuisset: sola aderat paulo frequentior alvi dejectio, pulsus naturalis citatior, parvus tamen et mollitie consueta: ceterum et lingua, ut in sanis solet, et bonus assumptorum sapor. Nullum circa ventriculum incommodum. Subinde facies solummodo praeru-

l) Von der Zulässigkeit der Brechmittel p. 76.

m) Rat. medendi, T. I. P. 46.



bra et oculi scintillantes erant. Dato tamen emetico ingens materiae viridis flavae nigricantis moles rejecta etc.“ Fr. HOFFMANN n) in istero laudat emetica, quia ea illorum vis atque indoles est, ut in ductus biliferos, qui ex tunicis valde nervosis conflati sunt, operationem suam diffundant, eorum systolen augendo, humores vitiosos egregie exturbent. Pejor hepatis inertia illius obstructionibus et infarctibus efficitur. Erysipelata habitualia et biliosa observavimus a mero hepatis infarctu oriunda.

Lien quoque ad biliariae materiae secretionem aliquid afferre videtur: igitur illius obstructiones splenitici polycholiam efficiunt, quae dein in atrabilarios morbos degenerat. In quovis splenis morbo turbatur bilis secretio: color et habitus fit cachecticus: faciei color in flavum nigricantem mutatur. Quid? quod quaevis viscerum abdominalium obstructio liberum humorum motum ad hepar impediat, quo minus justa bilis secretio fieri queat. Hunc statum lienis morbosum indicant macies, torpor, frigus, sanguis missus nigricans, palpitationes cordis, anxietates, ponderis sensus sub hypochondrio sinistro: ipsum denique volumen lienis adaugetur. Etiam hoc in statu, quum in functione sua exercenda lien langueat, emeticorum ope circulatio augetur et materia stagnans propellitur. Prosumt emetica, inquit

n) Oper omn. physc. med. T. III. p. 305.



QUARIN o) in intermittentibus, non solum ejicendo nociva in ventriculo contenta, sed etiam stimulando et turbando materiam febrilem. Concutiuntur vomitu viscera abdominalia: hinc his impacta facilius solvuntur et excutiuntur. Si autem haec viscera obstructione pertinaciori patiuntur, et cum languore horum organorum simul humorum visciditas in culpa est, idque ex functionibus horum viscerum laesis dignoscitur: tunc ex classe resolventium jam supra dicta ea, quae cujuslibet aegri dispositioni conveniunt, in usum vocanda sunt. His conjungi possunt externa v. g. frictiones linimenti volatilis, unguenti Neapolitani etc. Exempla hac methodo sanatorum Clar. BANG p) enumeravit.

#### d. Inertia solidorum febrilis.

Hanc inertiam et languorem virium vitalium in febribus nervosis et putridis observamus, quae biliosarum impuritatum coctioni maxime obest. Dubiae adhuc et fluctuantes harum febrium descriptiones in practico compendiis animadvertuntur, quas accuratius determinare hujus loci non est; sed his in febribus cum bilioso statu conjunctis eam medelam, quae ad bilis coctionem facit, usumque evacuantium et roborantium, quae ad hunc sco-

o) Method. medend. Febr. p. 125.

p) Diarii selecta 1783 Juny No. 3. Sept. 6.



pum spectant, perspicue judicare, solummodo hic propositum mihi habeo.

His in febribus debilitatem omnium functionum vitalium, animalium et naturalium prostratamque naturae virium reactionem contra stimulum febrilem deprehendimus. Solida, a diutinis causis debilitantibus infirma sunt, et tono orbata, nervorumque vis fracta est ab hostili contagio seu miasmate eos laequeante. Sordium biliosarum hoc in morbo obvenientium conditio, a vi vitali fracta pendet et fovetur. Male nunc rem ageres, si debilitantium pharmacorum ope resolutionem et evacuationem efficere conareris. Vidimus hac in specie, digestiva ex salibus mediis, quamvis refracta dosi exhibita, manifesta labe, aegroti morbum pessumdedisse. Evacuantia in detrimentum aegroti vel non operantur, vel excitosas hypercatharSES excitant. Quo in casu haud raro fit, cum vires solidorum coquendae morbi materiae in pares sint, ut aeger, nisi ab arte sustineatur, tandem sub ipsa cruditatis perduratione pereat.

Febres putridae et nervosae suo in decursu varias formas ludunt, earumque phaenomena mire differunt. Pro hac differentia etiam remedia eligenda sunt, quae ad coquendam bilem praesentem adhibere oportet. Universe haec regula servanda est in curandis his febribus, cum bile complicatis, ut non



tantopere ad bilem, sed potius ad febris primariae conditionem respiciatur. Si febris, fauste simul bili adjunctae medemur.

1. In initio febrium bilioso-putridarum, quam diu vel signa luculenta turgescientiae adsunt, vel praecordia dolent, sapor amarus, ructus putridi, vomituritiones, lingua flava, humida, pulsus mollis, non admodum frequens notantur; evacuantia, et praeprimis vomitoria, summo cum successu porriguntur. Plurimae febres biliosae incipientes emetica desiderant, quae bilem subtrahentia morbum sequentem mitiorem reddunt.

2. Si vero febris progreditur, evacuantia in initio neglecta sunt et febris putrida cum pulsu frequenti sed debili, cute sicca ardente, anxietatibus, lingua sicca, dura et fusca, atque urina cruda perdurat; si crustae nigrae in labiis et naribus, viriumque vitalium stupores apparent: digestiva omnia debilitantia salina, et evacuantia nocent. Leniora tunc antiseptica conveniunt, acidum tartari, Tamarind, Cassia, succus citri, clysmata blanda emollientia, quae sine ulla vehementia putridum corrigunt, febrisque fervorem compescunt. Praeterea acida fossilia pro rerum statu non negligantur. Hanc methodum in febribus bilioso-putridis, his in adjunctis, congruentem esse bonorum medicorum observatione constat. Itaque etiam, quod



HILLARY *g*) observavit, in febre flava americana (quae ad biliosas putridas pertinet) emetica et fortiora purgantia non conveniebant, quoniam ob maximam materiae acridinem inflammationes ventriculi et intestinorum facile sequebantur.

3. Nonnunquam has febres cum pulsu debili, sed raro et tardo, calore plerumque naturali, immo frigore, stupore et deliriis mustitantibus observamus. Mente vacillaret, qui hac in conditione, bilem obviam digestivis salinis mobilem reddere studeret. Exitantia vi stimuli praedita tunc danda sunt et tonica, quae motum cordis et arteriarum augeant, viresque vitales languentes excitent. Huic indicationi respondent Flores arnicae, quos STOLLIVS optimo cum effectu adhibuit. Rad. angelic. Vinum, Rubefacientia, prae omnibus autem cortex peruvian. „Ist die Fäulniß, inquit Celeb. VOGEL *r*) in den Säften schon zu weit eingerissen; nimmt die Dummheit des Kopfs, die Entkräftung von Augenblick zu Augenblick zu; sinkt der Puls immer mehr; erfolgen sogar anhaltende Verwirrungen der Sinne, Gliederzittern, Blutflüsse, colliquativische Schweisse und Stuhlgang, ein sehr kleiner, geschwinder und aussetzender Puls, trübe, glanzlose,

*g*) Observat. on the changes of the air and the epidemic diseases in the Island of Barbados. Lond. 1766 pag. 149.

*r*) Anfangsgründe der praktischen Arzney - Wissenschaft T. II. pag. 34.



rothe Augen u. f. w.; oder befällt die Krankheit so plötzlich, daß sogleich alle Kräfte darnieder liegen und die gefährlichsten Zufälle als Zeichen einer schnell einbrechenden Fäulniß und eines heftig angegriffenen Nervensystems entstehen: so ist an keine Ausführung und dergleichen zu denken, sondern die höchste Zeit, seine Zuflucht zu dem größten aller antiseptischen Mittel, zur China, zu nehmen. "His adhibitis remediis, quae tamen semper ad certa et specialia signa eligenda sunt, nonnumquam symptomata graviora paulatim evanescere et signa coctionis prodire solent.

Interdum in fine februm bilioso-putridarum meteorismus ab atonia existit, quem male evacuantibus aggredieris: tympani instar resonat abdomen, non dolet pressum, aequabiliter expansum est: tunc adhibenda sunt, quae intestinorum fibris robur adjiciunt \*) v. g. Aqua frigida externe admota, cort. chinae, fomenta ex plantis aromaticis vino incoctis atque alia, quae aromatica vi pollent.

4. Porro interdum ad febrem putridam accedunt symptomata colliquativa, foetor omnium excretionum, aversatio a victu animali, desiderium acidorum, diarrhoeae, sudores, haemorrhagiae internae et externae ex variis corporis partibus. Pessimus nunc,

\*) Burserius Institut, med, pract, Vol. I. pag. 467.



inquit QUARIN <sup>1)</sup> error foret, absque necessitate purgantia propinare, dum fractis jam admodum viribus facile inde diarrhoea colliquativa, convulsiones etc. sequi possunt. Hoc in statu antiseptica usui sunt, veluti cortex peruvian., acidum vitrioli, alumen crudum, terra catechou gummi, vina austera et alia. Si horum remedium usu, solidis relaxatis tonus restituitur: vita refocillatur, simulque cum hac vita majori redeunte sordes coctae apparent.

5. Saepius in febribus, cum debili solidorum reactione, accedunt symptomata nervosa, deliria, spasmi, convulsiones omnis generis, pavores sub somno, subsultus tendinum, vomituritiones, singultus, aliaque symptomata nervosa, quae neque inter se neque cum causa manifesta cohaerent. Hoc cum statu frequentissime cacochilia gastrica, inprimis pituitosa complicata est, quae plerumque a systematis nervosi peculiari debilitate pendet. Hic status nervosus in febribus acutis et lentis nervosis, nec non in quibusdam passionibus chronicis observatur. v. g. in hysterica labe. Hoc in statu, e. c. in initio febrium nervosarum, in hysteria statim evacuantia dari possunt, si scilicet signa aliqualis saltem coctionis adsunt. Frequentius autem succidit in statu nevosso, ut summa cruditas adfit et evacuantia turbulenter data, interitum

c) Method. febrium medend,



ritum aegroti accelerent, e. g. si lingua sicca et arida, si stupor nervorum adest vel summus illorum erythismus, si debilitas nimia viriumque summa prostratio existit, ut dato evacuante mors timenda sit, si diarrhoeae symptomatae debilitantes adsunt, et omnia haec symptomata non quamprimum et proxime a statu bilioso complicato proveniunt, sed primariam rationem in affectione ipsa idiopathica systematis nervosi habent.

Quo in casu multi medici sibi persuadent, sed male, (quum periculosum ubivis sit, dum fordes adsunt) excitantia, sudorifera et alexipharmaca dare, lernamque malorum sibi somniant, quae inde oriri possit. Evacuantia exhibent et aeger moritur, quoniam non satis distinguunt inter passiones a nervis, se ipsis debilibus, et passiones a nervis per irritamentum affectis. Luculentum exemplum, sed funestum ex laxantibus intempestivis Ill. FINKE <sup>n)</sup> adnotavit.

Tali in statu nulla coctio locum habere potest: spasmus omnium organorum motusque irregulares, languens sanguinis circulatio, ac debilitas nervorum impediunt, quominus fordes coquantur, a sanguine separentur, atque attenuatae in collatoriis deponantur.

In hoc statu semper, si nervina indicata erant, et bilis amplius evacuari non poterat, excitantia et

<sup>n)</sup> De morb. bilios. anomalis in comitatu Teklenb. pag. 108.



nervina in clinico dedimus, intrepidi, an fordes evacuandae essent, nec ne. Indicata autem remedia ad pulsus conditionem eligebantur. Si pulsus aequalis, mollis, sed maxime debilis erat: cum nervinis simul excitantia tonica, serpentariam, arnicam angelicam, vinum, corticem peruv., vesicatoria; si vero durus, parvus et inaequalis erat, potius sedativa et diaphoretica, moschum, camphoram, valerianam et opium exhibuimus. Huic sententiae Celeb. FINKE \*) consentit his verbis: „Suas quoque agnoscat proprietates, quae in viribus servandis illisque, corticem peruvianum atque alia analeptica propinando, sublevandis positae quam maxime. Nec non SELLIVS y), profunt quidem, scribit, in febribus nervosis sub certis suis adjunctis evacuantia, nequaquam vero cardo curationis in iis versari debet.“ Et paulo post addit: „ubi autem vires actuositate illa carent, quae ad materiei expulsionem requiritur, iis roborantibus et alexipharmacis succurrendum est.“

Exhibuimus itaque, quae jam ante memorata sunt, et quidem optimo cum successu, ita ut in aegris luculenta convalescentiae signa existerent, quamvis omnis saburra in primis viis adhuc esset superstes. Redeunte autem sensibilitate nervorum eorumque actione regulari et meliori, demum natura ipsa

\*) Loc. cit. pag. 106.

y) Pyrotholog. method. p. 308.



evacuaciones molitur, quo tum signa fordium coctarum oriuntur, quae vomitus et diarrhoea sunt. Convalescentia evacuationi fordium praecire debet, effectusque redeuntis sanitatis evacuatio crassiorum fordium est. Insigne hujus rei exemplum offerunt Memorabilia Clinica Celeb. REILLII 2). —

Excitantia continuantur, donec signa coctionis appareant: quibus apparentibus medicus attendat, quam evacuationis viam natura eligat, eamque, si non satis valida sit, suffulciat. Orta evacuatione vel excitemente seponat, si nempe vires naturae sufficiunt et evacuatio, quantum satis est, succedit; vel si natura adhuc debilis est, per intervalla eorum usum prosequatur.

### 3. Motus solidorum irregulares.

Nunc ad quartam et ultimam causam in conditione corporis aegrotantis quaerendam, ad spasmos scilicet motusque anomalos, qui ab iis proficiscuntur, me converto.

Spasmi vel universales esse possunt, v. g. in febre vehementiori. §. 3. Vel speciales in ventriculo, intestinis, hepate, etc. obviae. Priusquam autem ad peculiarem horum contemplationem progrediar, quaedam generaliora de statu spastico praemittere liceat.

D 2

2) P. 25, et 26.



Spasmi, qui comitantur statum biliosum, fibras musculares agitando, ostia vasorum constringendo, functionem cujuslibet organi vel nimis intendendo vel remittendo, denique secretiones et excretiones turbando, statum cruditatis mirum in modum fovere possunt. Signa spasmodorum vel universalia sunt vel specialia, De specialibus postea in contemplatione partium affectarum speciali.

Ad generalia signa pertinent, congestiones, inflammationes, dolores partium affectarum, pulsus durus contractus, anxietates, ardores fugaces, cum frigore alternantes, excretiones vel impeditae vel nimis intensae, urina limpida, copiosa vel retenta, et plura alia.

Huic statui medemur antispasmodicis variis, pro rerum conditione selectis: nitrosis et sanguinis missio- nibus, si orgasmus sanguinis, congestiones ad nobi- liora viscera et inflammationes notantur; demum en- nematibus, linimentis, fomentationibus tepidis, usu oleosorum, Castorei et opii. Opium inprimis nervo- rum sensibilitatem minuit, quietem conciliat, spas- mos sedat, excretiones nimias refrenat, emetin et alvi fluxum nimium coercet, doloribus ventris et per- vigilio molesto prospicit: quare manu exercitati me- dici administratum multiplicem usum praebebit.

Progredior ad spasmos speciales, scilicet hepatis, ventriculi, intestinorum etc. qui secretiones et excre-



tiones partium affectarum impediunt et multiplici modo cruditatem, atque impuritatem sustinent. Huc spectant:

a.) Spasmi in hepate. Ubicunque spasmi in hepate ejusque vasculis biliferis, bilem fecernentibus, ducentibus et excernentibus extant, bilis non rite separatur a sanguine, in intestina effundi et per has vias ejici non potest. Inde polyocholia quasi topica nascitur, quae frequentis anxietatis causa est, et spasms solutis, quamprimum bilis liberum in intestina effluxum recuperat sensusque plenitudinis tollitur, evanescit. Dolor adest in hypochondrio dextro, interdum ita gravis, ut hepatidem mentiatur. Reliqua signa colluviei biliosae consueta plerumque absunt. Sic nullus amarus gustus, lingua munda, naturalis rubra; sed pressio in scrobiculo cordis, anxietas, tensio hypochondriorum cet. hunc statum morbosum mox indicant. In hominibus sensibilibus, hysteris, ac hypochondriacis, si febre biliosa invaduntur; nec non iis in casibus, in quibus mechanica irritamenta, vermes, calculi biliarii, scirrhi hepatis adsunt; si inflammatoriae stagnationes jecoris existunt; denique a variis animi pathematibus, ira, excandescencia etc. hunc statum observamus. Pluries in hominibus, cardialgia affectis, a quovis dolorum paroxismo icterum oriri vidi.



Hoc igitur in casu resolventia male adhiberentur :  
 nam statum pejorem reddunt, quum solummodo in-  
 dicatio antispasmodicis et inprimis opio absolvatur.  
 Insigne hujus rei exemplum Celeb. REIL a) adno-  
 tavit. Vix dum, inquit Cl. Vir, morbi biliosi me-  
 delae testis fui, in quo evacuantia omnia irrita erant ;  
 ructus, nauseae vomituritionesque frustra aegrum tor-  
 quebant. Medicus vero curans, statum morbi peni-  
 tus perspicuus, in vasis hepatis spasmos praefagie-  
 bat, qui bilis se-et excretionem impedirent. His  
 spasms opio solutis, Tart. emeticus statum mor-  
 bi fregit. Quam graviter ille, in viis fomitem  
 putans, fordes immobiles accusaret, et Tartarum  
 tartarificatum Sal ammoniac etc. ingereret, nihilomi-  
 nus ubique, cum aegri periculo actum agebat. —  
 In mitioribus speciebus interdum a nausea et ipso  
 adhibito emetico statim spasmi evanescent. Sic in epi-  
 demia, anno 1772 grassante, teste SELLIO b) quando-  
 que ne vestigium quidem bilis vitatae deprehendi  
 poterat, ubi tamen a vomitorio magna bilis viridis  
 copia ejiciebatur, quo febris imminens sub ortum in-  
 tercepta est. Topicam hanc polycholiam inter-  
 dum periodicam esse, et statuto quodam tempore re-  
 currere, exemplis probat v. SWIFTEN c). Plures,  
 inquit, novi homines, quibus semel in mense subito

a) L. c. p. I. pag 8.

b) OE. Praef. ad Brocklesby.

c) L. c. T. II p. 44.



oritur immanis capitis dolor et febris; postquam aliquot horis hoc perpeffi sunt, magnam bilis copiam vomunt et illico optime se habent. Ennemata emollientia, nauseosa, emetica, cataplasmata, et vesicatoria hypochondrii dextri, hirudines ad anum etc. hoc in casu remedia sunt, quae medelam faciunt.

b.) Spasmi intestinorum et ventriculi quoque haud raro bilis fordiumque evacuationi obstant. Intestina si spasmo afficiuntur, arteriolarum ostia, ductusque varii excretorii, in tubum intestinalem hiantes angustantur, penitus clauduntur, motus peristalticus vel praeter modum intenditur vel impeditur, fordesque intestinorum loculamentis incarcerantur. In colica passione nunquam laxantia mera non operantur; ab opio addito effectum praestant, In obstructione alvina, qua tensa sunt et irritata intestina, saepe laxantia drastica nil efficiunt, et quin alvum aperiant, passiones adaugent. Contra blanda antispasmodica et leniora, eccoprotica, quae visstimuli carent, Roob prunorum, Manna, Mel, Sallia media, Olea unguinosa interne hausta et externe abdomini inuncta obstructiones mox referant. Diagnofis hujus status spastici tubi intestinalis plurimum aperta est: absolvitur pulsu parvo et duro, alvo obstructa vel nimis aperta, abdomine ab attactu dolorifico, tumido, tenso, inprimis in regione epigastrica, ab aëre in colo



ceterisque intestinis incarcerato. Dolores ab tactu aucti hunc statum a meteorismo distinguunt, qui ab Atonia oritur. Hi spasmi pro rerum conditione, enematibus, cataplasmatibus et unguentis, antispasmodicis et emollientibus, interno opii, castorei, asae foetidae, cicutaeque usu curantur. Evacuantia vel his remediis junguntur, vel sopitis spasimis, demum exhibentur.

Imprimis ad hunc flatum spasticum tubi intestinalis, bina phaenomena referenda sunt, quae in morbis gastricis, praecipuae febrilibus, frequentissime observantur, quatenus vel natura nimis vehementer evacuationem conatur, vel evacuantia data, familiari suo effectu destituuntur.

α) Molimina saepius vehementia, eaque inania ad excretionem in morbis gastricis notantur: oriuntur vomitus excedentes vehementissimi, diarrhoeae enormes, et cholera: ast ab iis propter spasticam corporis et intestinorum conditionem desideratum aegroti levamen non sequitur.

Cholera imprimis hujus phaenomeni ideam praebet. Haec frequentissime in febribus biliosis aestivis et in calidioribus regionibus observatur, dum bilis,



constitutione epidemica favente, maximo cum impetu movetur, aut acri stimulo praedita, male afficit canalem intestinorum, ideoque spasmos excitat, motumque peristalticum quaquaversum vehementer intendit, quo bilis supra infraque frequenter ac copiose propellitur. Perdurantes enim constrictiones convulsionesque ventriculi et intestinorum, ductum choledochum simul concutientes, emungunt et exprimunt omnem bilis et succi pancreatici apparatus, largiorem illius secretionem proritant, sicque proventum perpetuum alliciunt, qui vomitionibus et dejectionibus egeratur. Minime igitur illud artis medicae axioma: ubi fordes mobiles, ibi evacuandum, locum hic tenet. Nam hoc in casu a datis evacuantibus congestiones et inflammationes excitiales orirentur. Potius contra motus nimii vehementesque compescendi et sopiendi, ac fordes acres involvendae sunt. Hoc efficiunt infusa saturat. flor. chamomill, Decocta corn. cerv. Sago, aven decort. Potio Riveriana, quam VOGEL citissime efficacem vidit, atque ennemata parva ex Amylo, Flor. malv. Gumm. arabic. sem. lini etc. Merito huc refertur usus oleoform, quae spasticas constrictiones laxant, dolores leniunt, humores acres obtundunt, molestas excretiones cohibent variaque alia bona conciliant. Quamquam enim apud v. SWIETENIUM d) TISSO-

d) Loc. cit. pag. 46.



TIUM *e*) aliosque male audiat, tamen Olei laudes in hujusmodi morbis DE HAEN *f*) BRANCHI *g*) et prae ceteris BURSERIUS *b*) confirmarunt. Praecipue laudatur oleum olivarum, amygdalarum sine ignis ope recens expressum. Si rancor formidatur, facile avertitur adjecto succo citrei aut oxymelle. Effectui simili respondent emulsa ex seminibus amygdal. etc. Sin nec motus enormes nec excretiones his remediis minuuntur, immo symptomata augentur, dolorque summus, vomitus ingens, profusiones humorum enormes ect. vigent: ad prius dicta anodynum aliquod, velut Theriac: andromachi aut Laudan. liquid. Sydenh. admisceatur. Idem certis sub conditionibus jam RIVERIUS *i*) ESTMÜLLER *k*) TEICHMEYER *l*) et VOGEL *m*) optimo cum fructu tentarunt. Cavendum tamen hic est sollicite, ne largiori dosi, quam aeger ferat, por-

*e*) Sämmtliche zur Arzeneykunst gehörige Schriften, 7ter Theil, pag. 98.

*f*) Rat. medend. T. III. Cap. 2.

*g*) Hist. hepat. p. III. p. 250.

*b*) L. c. Vol. I. p. 460. seq.

*i*) Opp. pag. 237.

*k*) Cap. de Cholera.

*l*) Diff. de Cholera §. 25.

*m*) L. cit. pag. 267.



rigatur. His adjungi possunt externa emollientia, antispastica, linimenta volatilia cum Tinctura thebaica, ac theriaca ventriculo imposita. Interdum quoque sanguinis missio in usum vocanda est, si praecipuis, signa inflammationis, enteritis, gastritis notantur. Quo si modo excretiones frustraneas, spasticasque constrictiones sopieris: relictæ fordes ope Manna, Tamarind. Crem. Tartari. aut salibus nonnullis mediis cum Gummi Arabico, Decoct. hord. seu alio involvente vehiculo exhibitis, evacuentur.

β) Species, quibus in febribus ab emetico et laxante vomitus et alvus laxa non sequitur.

Interdum in acutis morbis biliosis, propinato emetico et laxante, nec vomitus, nec alvi fluxus sequitur. Hoc quidem ex multiplici causa, saepius ex spastico ventriculi et adjacentium partium statu oritur, quem morbosum statum cito citius inflammationes, gangraena et mors sequuntur. Si spasmum ventriculum afficiunt: emetica effectum denegant, vel vomituritiones inanes multasque anxietates efficiunt, vel alvum ducunt; si vero potius intestina spasmis vexantur: ipsa laxantium speratum effectum non edunt, sed aegrum molestant. Eiusdem generis exemplum memoratum a VOGELIO n) legimus. Quo statu ob-

n) Loc. cit. P. I pag. 346.



tinente, si vomitus a spasms ventriculi retineatur, fomentationes continuo in regione epigastrica, ac cataplasmata atque enemata emollientia, semicupia tepida, immo emplastra vesicatoria, ventriculo imposita, in usum vocanda sunt. Etiam usum cucurbitularum, jam HIPPOCRATES et GALENUS, hac in affectione in regione ventriculi commendarunt. Si vero spasmi magis intestinis insunt: laxantibus enemata antispasmodica et cataplasmata ex Hb. Cicutae, Hyoscyami, farina ac semine Lini in abdomen praemittenda sunt. Confert insuper, speciebus evacuantibus antispasmodica addere, v. c. opium Castoreum etc. Sic WIENHOLT o) sequentem enumerat casum. In pleuritide quadam biliosa optimo cum successu propinabantur emetica. Ii aegroti, quibus adhibito emetico vomitus non sequebatur, omnes fere peribant. Adhibebantur quibusdam ante emeticum emplastra vesicatoria in ventriculo, et in his, dato emetico, paulo post emesis excitabatur, quo in sanitatem restituti sunt. Verisimile vesicatoriis spasmus sublatus est, qui antea emeticorum effectum impedivit. Nonnunquam autem omnia haec parum valent, quo casu opiata, interne et externe, caute adhibita, optimum effectum fortiuntur.“ Wir haben zuweilen, in-

o) Dissert. de Inflamm. occult. vife. hypochondr. p. 27.



quit FABRI p) offenbare gallichte Krankheiten, wo die kräftigsten Brech- und Abführungsmittel ohne Wirkung sind. In den meisten Fällen liegt dann die Ursache in einer gewissen krampfartigen Beschaffenheit der ersten Wege und der Gallengänge. In dieser Art von Gallenfiebern zeigen sich gelinde, behutsam abgemessene, innere und äussere Opiate, wirklicher, als alle äussere Bähungen, Halbbäder, erweichende Clystiere“. Annon hanc ob causam forsitan SYDENHAM laudanum suum in morbis biliosis adhibuerit? — Sublato horum organorum spasmo, emeticum aut laxans propinandum, semperque optimo cum effectu agunt.

c) Spasmi vasculorum haematophororum,

qui bilem incarcerando, ejus evacuationem impediunt. Hi vero variis in morbis biliosis sunt causa dolorum, rheumatismi, diarrhoeae, dysenteriae, erysipelatis et innumerarum oculorum, faucium, pulmonis intestinorum etc. inflammationum biliosarum. Enumerati enim morbi frequentissime a vera metastasi biliosa oriuntur, quo casu necesse est, ut bilis deposita a spasmo vasorum teneatur incarcereturque. Varii morbi ex bile metastatici nascuntur, qui differunt pro ratione loci, quo decubitus bilis, uti supra

p) In Not. ad Stollium l. c. P. II. p. 97.



jam dictum, factus est. Multi medici topicas has adfectiones non a vera loci laesione, sed modo a consensu derivant. Hi vero egregium in errorem incidunt, qui his in speciebus consensum admittunt, quum cadaverum sectiones *q)* priorem sententiam omni dubio exemerint. Itaque illorum argumentum, quod in contrariam partem adducunt, posse scilicet adfectiones dictas, emesi instituta, interdum feliciter tolli, parvi valet. Emeticorum enim virtutes quoque huic metastaticae causae optime respondent. Etenim nervi actione ea vomitus intenduntur, spasmi resolvuntur, hepatisque ductus evacuantur, quobili denuo suscipiendae idonei fiunt, atque ita omnes secretiones et excretiones inprimis jecitoris promoventur. — Posito autem, adfectiones has partium, a primis viis remotarum per consensum oriri: ad mentem REILLII *n)* haud fatisperpicio, cur non ipsa intestina, quae irritabilitate et sensibilitate maxima praedita sunt, plurima patiantur symptomata, si causam foverent?

*q)* Vid. Tissot Lettre à Mr. Zimmermann sur l'epidemie cour. pag. 14 — Bianchi histor. hepat. pag. 659. Stoll Rat. medendi T. 1. pag. 184. seq.

*r)* L. c. p. I. pag. 28.

*s)* L. c. pag. 23



cur fomes acris irritans in illis non gignat inflammationem, cum juxta cor irritabilissima sint, sed potius in torpidiori pleura et pulmone? Et tamen pluritides biliosae enteritide frequentiones occurrunt. Ill. SELLE §), qui quoque consensum nec non metastasin admittit, majori tamen probabilitate metastasin agnoscit. Sed redeamus ad rem.

Passiones, quae a bile deposita gignuntur, variae sunt. Frequentissime inflammationem, utpote primum infesti stimuli effectum, ab ea observamus. Hae biliosae inflammationes a genuinis hoc dignoscuntur, quod non ita subito existant, quam genuinae, pulsus maxime frequentem sed molliorem, dolorem partis adfectae vehementiorem habeant. Color corporis magis flavicans, urina flava, jumentosa, aeger magis tristis, cruor ex vena missus floridi laetique coloris est §). Spectanda praeter haec sunt: aetas, vitae genus, morborum genius et tempestatis ratio. In horum curatione generalis indicatio valet, ut spasmi bilem incarcerantes, solvantur, materia liberetur et ad excretorias vias vehatur.

Haec absolvitur sequentibus:

§) Gaubius Institut. Patholog. genere de sanguine florido,



Venaesectione et antiphlogisticis, si solidorum nimia reactio, vasorum tensio, congestiones validae phlogisticaeque stases adsunt, plethora urget, aegrotus constitutione corporis robusta gaudet cet., cujus rei plura exempla apud HAEBERL *u*) inveniuntur.

Emeticis, quae inprimis tunc propinanda sunt, si inflammationis symptomata minus urgent: quo in statu, uno emetico adhibito, interdum dolores et morbus tolluntur. Celeb. TISSOTIUS *x*) in pleuridite biliosa optimo cum successu ea adhibuit; in rheumatismis biliosis STOLLIIUS *y*), dicens: „Quibus materies biliosa reorbta, ad corporis superficiem delata, in vasculorum exhalantium orificiis haesit, ibique vellicando dolores rheumaticos concitavit — emeticum profuit.

Frictionibus, quae affluxum ad cutem augent, stagnantes humores movent, discutunt, ad cutem invitant, fordida ab osculis cutaneis detergunt. In rheumatismis biliosis a STOLLIO ex aromaticis adhibitae sunt.

Cataplasmatibus relaxantibus, quae in stadio tensionis cum antiphlogisticis juncta conferunt,

*u*) L. c. pag. 93. seq.

*x*) L. c. pag. 66. seq.

*y*) Loc. cit. T. I. p. 20.



---

runt, et vesicatoriis, quae imminuta pulsus durtie, contra remanentes topicas affectiones valent.

Mucilaginosi denique et demulcentibus, quae inprimis non negligenda sunt, si spasmi ab acri bile pendeant. Interdum ipsa opiata accersenda sunt, dum nihil eorum usum vetat et materies metastatica locum nobilem occupaverit. Spasms sublatis materies per varias vias exterminetur.



---

## SECTIO. III.

### De evacuatione post coctionem.

---

#### §. 14.

**H**aud plane ingratum laborem fore spero, si priusquam hic filum abrumpam, quantum angusti hujus dissertationis limites permittunt, pauca de fordium coctarum evacuatione addam.

Coctione facta, quid tum fit? Materies vel artis vel naturae ope evacuatur. Medicus eam vomitoriis et purgantibus expellit; natura vomitum vel diarrhoeam excitat. Sed qua via expulsio fordium biliosarum efficitur? Graviter errant, nec fontes, qui hoc per alvum solam fieri oportere credunt. Regia quidem via pro evacuatione fordium gastricarum tractus intestinorum esse videtur. Nam via, quam natura ad expellendam materiam nocuam eligit, pendet a materiei evacuandae conditione et a differente concoctionis gradu. Materiem crassam intestina et hepar; subtilem et miasmaticam cutis ejiciunt. Sed etiam omnes aliae



viae, veluti cutis et pulmonum exhalatio, urina, eas evacuare possunt. Si materies biliosa satis subacta et attenuata est in incremento morbi: per transpirationem et urinam egredi, febremque per sudorem solvere potest. Materies vero parum subacta cum secessu alvi foetido et vomitu abit. Itaque etiam debiles a febre biliosa magis per diarrhoeam; robustos frequentius per sudorem liberari observamus. Materies biliosa forma phlogisti, per cutem et pulmones, immo per urinam abit, sedimento vel albo vel lateritio insequente. Exempla rem probant. Rustici et plebs saepe declaratis febribus biliosis laborant, et reconvalescunt sine artis ope et sine evacuatione fordium per alvum, quia materies biliosa sub coctione subacta et attenuata per cutem et pulmones vel per urinam secedit. Etiam medicus saepe observat febres, in initio luculentis fordium signis perspicuas, in fine sine evacuatione per alvum judicari.

His denique addam quasdam aliorum auctorum observationes huc spectantes. FINCKE *z*) tumorem vidit, qui materia biliosa per urinam quotidie secedente, evanidus redditus est. STOLL *a*) casum enumerat, pleuritis, cum biliosa colluvie foederatae, quae fere sola diaphoresi judicabatur.

*z*) L. c. p. 60.

*a*) Rat. med. T. I. p. 105. — GLASS Comm. X, p. 169. seq.



---

HAEBERL c) narrat decursum pleuro - peripneumoniae, per urinam crassam jumentosam solutae. Solutionis per sputa casus apud FINCKE d) inveniuntur. His in crisi bus sudor flavicantior excernitur, pulmonum exhalatio multo phlogisto obruta est et urina cum multo et crasso sedimento, crocea mingitur. Medicus, qui has varias vias, expellendae bili dicatas ignorat, naturae conamina, haud sine damno turbat, Via observanda est, quam natura ingreditur. Si per intestinum fomitem evacuare conatur, quod ex passionibus topicis hujus regionis apparet, leniori evacuante sustineatur. Si sudorem et urinam eligit, quod cutis mollities et mador indicat, potus copiosus, diluens, diureticus et diaphoreticus detur.

Sufficiant pro academico juvenis specimine haec, quae Tuae, Benevole Lector, uberiori indagacioni committo, offero, memor proverbii, si quid tibi rectius est, candidus imperti; si non, his utere mecum.

c) L. c. p. 94.

d) L. c.

---



NO 78

PICA









DE

Promovenda Coctione  
SORDIUM BILIOSARUM  
GASTRICARUMQUE

SU

